DE

MORBIS CONTAGIOSIS QUÆDAM,

QUÆ,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GULIELMI ROBERTSON, S.S.T.P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON

Ampliſſimi SENATUS ACADEMICI conſenſu,

Et nobiliſſimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini ſubjicit

JOANNES FORD,

ANGLUS,

Societatis Medicae Edin. Socius et Praeſes Annuus;

NEC NON

Societatis Phyſico-Chirurgicae Sodalis.

Ad diem 24. Junii, hora locoque ſolitis.

EDINBURGI

Apud BALFOUR et SMELLIE,

Academiae Typographos.

M,DCC,LXXIX.

Viro honorabili

JOANNI CLEVLAND

A Tapley,

ARMIGERO;

In curia Magnae Britanniae Tribunicia

Senatorem;

Ob egregiam ejus erga ſe voluntatem,

Et in ſuum illius virtutis teſtimonium,

Idoneam nactus occaſionem,

Ea, qua decet, reverentia,

Hanc cartulam

D. D. C. Q.

AUCTOR.

Mr. Eveleigh

from his friend

& Hble Servt.

Th. Ford.

D E

MORBIS CONTAGIOSIS

QUÆDAM.

I.

PAUCI aut nulli de morbis contagioſis ſcripſerunt, qui cauſas et phaenomina eorum ſatis explicarint: Quo fit, ut, in hoc argumento tractando, auxilium perexiguum nobis ſuppetat; aliquam tamen hujus rei inveſtigationem in ſequentibus paginis tentabimus. Quae, licet ſcrupulos omnes

non ſublatura ſit, alios tamen ad eandem ultius perſequendam impellat, quam temporis aut ingenii noſtri fines facile ferunt.

II.

Quoniam ſingulos morbos contagioſos fuſe tractare non licet; ideo communiter eos tractabimus, ſingulos tantum pro occaſione attingentes, quatenus ratio operis recipiat; in qua hypotheſin, ad omnes hujus generis morbos deducendam, ut ſpero, adferemus.

III.

Pro definitione contagionum haec Blancardi verba ſufficiunt:

Contagium eſt venenum, quod ab uno ſubjecto propagatur in aliud, hoc dupliciter contingit, ad diſtantiam per aërem vel ſimplici contactu.

IV.

Contagio, ut inter omnes conſtat, qualitas eſt, in aliquibus materiae partibus poſita, quae ex corpore humano aegrotante dimanans, et ad alia admiſſa, in his ejuſdem generis morbos efficit.

V.

Quid haec qualitas ſit, ideo non explicare audemus, quia natura ejus hactenus incognita latet; ſed, quoniam remota morborum cauſa eſt, quas in corpore mutationes efficiat, monſtrare conabimur.

VI.

Mutationibus, quas contagiones efficiunt, omnibus perſpectis et inter ſe comparatis, duo in genera omnes dividendae videntur.

VII.

Quoniam morbi quidam contagioſi, eruptione, et hanc precedente ſynocha, uti variolae, conſtant, et omnia eorum ſymptomata auctam poteſtatis nervoſae actionem et naturam phlogiſticam indicant; ideo a morbis phlogiſticis puris nil niſi eruptione, et quibuſdam ad eam pertinentibus, ut Sydenhamus ait, diſcrepant: Hoc, igitur, genus phlogiſticum nuncupabimus.

VIII.

Rurſus, ut alii morbi quoque contagioſi non deſunt, quos febris typhus vel typhoides praecedit, et aut nulla omnino eruptio, ut in typho, aut peculiaris quaedam, multumque ab altera diverſa, ut in peſte, ſequitur, et omnia horum ſymptomata in imminuta manifeſte poteſtatis nervoſae actione conſiſtunt, et antiphlogiſticam quaſi ſive aſthenicam indolem oſtendunt; ideo hoc Aſthenicum genus appellabimus.

IX.

Ut contagionis phlogiſticae natura eſt, ſtatum corporis, diatheſi phlogiſticae ſimilem, et idem curationis genus requirentem, efficere; ita, ad hunc melius intelligendum, pauca, quibus illa diatheſis explicetur, primum exponenda videntur.

X.

Diatheſis phlogiſtica is corporis animati ſtatus eſt, quo omnes corporis et animae actiones ſupra perfectiſſimae ſanitatis modulum excitantur. Hoc inter omnes convenit: Sed, ut ad brevem definitionem rem redigamus, eadem diatheſis eſt, aucta toto corpore poteſtatis nervoſae incitatio, auctus fibrarum muſcularium, pro vivis habitarum, ubique tonus, aucta earundem, quatenus ut ſimplices reſpiciuntur, denſitas, cum aucta ſanguinis abundantia *.

Hinc,

* Praelect. Brunon. de Diath. Phlog.

Hinc, ut reliquae omnes, ita, prae caeteris, cordis, arteriarum, et irritabilis cujuſque vaſis, actio perſpicue intenditur, quod praecipue in pulſuum ſtatu adparet: Qui, cum mediocri frequentia, magni, pleni, validi, et plus minuſve duri ſunt. Idem in actionibus naturalibus perſpicuum eſt; ubi perſpiratio et excretiones internae imminuuntur aut ſuſpenduntur. Hic ſtatus, pro ſpaſmo habitus, diatheſis phlogiſtica eſt, extremas arteriolas afficiens.

Eadem diatheſis caloris magnitudine inſignitur:

XI.

Haec diatheſis gradu diſcrepat. Cum adhuc tantula eſt, ut valetudini conveniat, ſeminia morborum phlogiſticorum facit; ubi eo magnitudinis pervenit, ut morboſum ſtatum attingat, ipſos illos creat.

XII.

Morbi phlogiſtici, a contagione pendentes, a reliquis omnibus hoc differunt, quod diatheſis, ſeminium procreans, aliis neceſſario, iis caſu tantum praecedit: Verum, quoties diatheſis iis anteit, toties eo ſaevior morbus evadit, et, non praeeunte, pro ratione lenior apparet.

XIII.

Semper tamen per ſe materia contagioſa ſimilem diatheſi phlogiſticae ſtatum inducit, quod faciens hoc modo agere et corpus afficere videtur.

XIV.

Iis corporis partibus, ad quas aëri aditus eſt, ſolis, ut videtur, admota materia, genus nervoſum, in iiſdem ſitum, afficit;

ficit; quo affecto, totum ideo afficitur, quod totum unum idemque eſt.

XV.

Genus autem affectionis ſtimulans eſt: Itaque hujus contagionis effectus eſt, totam naturam nervoſam excitare, ſed cum inaequalitate quadam, ita ut tractus quidam reliquis partibus magis afficiatur, quod aliarum noxarum morbificarum naturae convenit. Quae omnes, dum in totum genus nervoſum agunt, ſemper fere potentius in aliquam partem incumbunt.

XVI.

Pars corporis, in quam omnium noxarum vis maxime dirigitur, ea plerumque eſt, cui noxa quaeque primum ſit admota. Ita frigus, dum diatheſin phlogiſticam toto corpore in reliquis morbis phlogiſticis accendit, partem hujus diatheſis maxime exquiſitam, nempe inflammationem, ſemper ibi gignit,

quo

quo ipſum primum admotum eſt, ſimili modo, hoc contagionis genus effectum ſuum exquiſitiſſimum in ea parte edit, ad quam primum adſpiravit. Et in utroque caſu pars, ſeu tractus, corporis, qui communi effectui maxime patet, externa ſuperficies eſt, idque internae, quod aër attingit.

XVII.

Vapor contagioſus, in vaſa acceptus, conſimilia relatis efficit, quatenus in ſolida agit. Sed in humoribus quoque fermentatione multiplicatur, et, ex omnibus vaſis ſanguiferis, ad ſuperficiem externam, idque internae, quod ei primum patuit, defertur. Quo poſtquam pervenit, ſi nulla diatheſis phlogiſtica praeceſſit, vapor facile arteriolis perſpiratoriis dilabitur, exiguamque eruptionem, et levem aut nullam ſynocham, relinquit. Si vero diatheſis illa praeiit, et effectu contagionis aucta reſtat; tum demum, propter imminutas arteriolarum perſpiratoriarum diametros, quod magnus tonus et denſitas,

diatheſi phlogiſticae propria, efficit, iiſdem non tranſmittitur, ſed, infra cuticulam accumulatus, et innumeras phlogoſes, ſeu puſtulas inflammatorias, concitans, potenti ſtimulo univerſo corpori eſſe perſtat.

XVIII.

Retenta materia puſtularum numerum, hic ſynochae vehementiam, faciunt.

XIX.

Morbi ad quos tota haec doctrina pertinet, variola, rubeola, et ſcarlatina ſoli, ut videtur, ſunt.

XX.

Pathologia morborum contagioſorum, in ſtatu, diatheſi phlogiſticae ſimili, conſiſtentium, abſoluta; ad eas contagiones, quae contrario modo agunt tranſeundum, et de morbis contagioſis, quorum contagio ſtatu, diatheſi

diatheſi phlogiſticae contrario, agit, pauca ſunt dicenda.

XXI.

Ut contagionis aſthenicae proprium eſt, ſtatum corporis, diatheſi aſthenicae ſimilem, inducere, et incitationem poteſtatis nervoſae imminuendo àgere, ejuſque effectus eandem curandi rationem, ac illa diatheſis, requirit; ergo pauca quoque ad eam diatheſin explicandam dicenda videntur.

XXII.

Diatheſis aſthenica eſt imminuta poteſtatis nervoſae toto corpore incitatio, imminutus fibrarum muſcularium, pro vivis habitarum, ubique tonus, imminuta earundem, quatenus ut ſimplices ſpectantur, denſitas, et ſanguinis ubique penuria *. Unde, ut reliquae omnes, ita cordis et arteriarum, et irritabilis cujuſque vaſis, actio imminuitur, cujus rei pulſuum ſtatus documento eſt. Qui celerrimi,

* Brunon. prael. de uſu med.

lerrimi, exigui, laxi, debiles, et, quantum percipi poſſunt, molles ſunt. In vaſculis perſpiratoriis et excretoriis internis atonia et relaxatio, diametrorum amplitudine, perſpicuae ſunt: Id quod ſudor in omnibus aſthenicis morbis, laeviſſimo quoque corporis motu dimanans, idem in febribus et diarrhoea colliquens, et in internis partibus humiditas, oſtendunt.

XXIII.

Diatheſis aſthenica, phlogiſticae more, gradu minor, ſeminium morborum aſthenicorum facit; major, jamque morboſus, ipſos hos procreat.

XXIV.

Utque morbis phlogiſticis, ex contagione pendentibus, ipſorum diatheſis, ſic aſthenicis contagioſis propria diatheſis, non, ut reliquis omnibus, neceſſaria eſt. Quae tamen, hic, ut in altero genere, ſaepe caſu antecedit,

cedit, et pejorem morbum reddit. Qui contra, abſente illa, lenior eſt. Adeoque valet ſeminium ad contagionis vim in hoc morborum genere augendam, ut totus effectus ei imputatus ſit. Nec dubium eſt, quin multi, ſeminio carentes, oblata quamvis contagione, morbum tamen fugerint.

XXV.

In hoc tamen, ut in altero genere, contagio, ubi valida eſt, quoslibet mortales, quantumvis ſeminii expertes, morbo implicabit. Quod ubi facit, hoc modo corpori admoveri et agere videtur.

XXVI.

Locus corporis, cui admovetur, idem eſt ac ille, cui diverſum contagionis genus admoveri dictum eſt. Inde in vaſa ſanguifera materia contagioſa accepta, fermentatione, ut credibile eſt, multiplicatur. Multiplicari autem

autem eam fermentatione vel hoc apparet, quod, omnibus corporis ſummae foraminibus exiens, integra corpora morbo afficit; cum neque certum, neque credibile ſit, tantum ejus iiſdem foraminibus inſinuatum, quantum rurſus emittitur. Éandem rem alterius generis contagioſae materiae rationis ſimilitudo confirmat; quae parce accepta, copioſe, ut omnes norunt, ejicitur.

XXVII.

Relatae corporis et vaſorum ſuperficiei admota, ut dictum, contagio, poteſtatis nervoſae incitationem, ubique imminuit, atoniamque et relaxationem fibrarum muſcularium ubique gignit.

Hinc univerſae corporis actiones proſternuntur, debilitantur: Quae debilitas maxime ſeſe in cordis et arteriarum, ad harum uſque fines, manifeſtat.

XXVIII.

Cordis et arteriarum affectio, impulſuum ſumma celeritate, item debilitate et exiguitate, patet.

XXIX.

Hujus pulſuum ſtatus cauſa debilitatis magnitudo eſt; cui ſemper relatae pulſuum conditiones accurate reſpondent. Sic, in pueris et foeminis, quam in adultis et maribus, multo crebriores, minores, et debiliores pulſus reperiuntur. In ſeminio morborum generis aſthenici hae conditiones majore gradu, quam in ullo ſanitatis perfectae ſtatu, aut quolibet alio nondum morboſo, occurrunt. Denique, in aſthenicis morbis ipſis, eaedem tanto ſemper majores ſunt, quanto major debilitas. Sic inter pulſuum ſtatum in ſimplici dyſpepſia et hydrope vel paralyſi, plurimum certe intereſt. Atque in eodem morbo initium et finis hac pulſuum ratione longe

* Auct. Relat.

longe inter ſe diſcrepant. In fine hydropis pulſus numerari nequeunt, qui initio multo rariores erant. Poſtremo, in propriis febribus, ubi debilitas maxima eſt, quae corpori vivo convenit, pulſus, pro ratione, celeres, exigui, et debiles exiſtunt, et ab initio ad finem uſque tanto magis, quanto augetur debilitas *.

XXX.

Hujus rei, exemplis clariſſimis et argumentis firmiſſimis illuſtratae, explicatio non difficilis eſt; ſcilicet, cordis actio, debilior juſto, totum datae cavae ſanguinem una ſyſtole non ejicit. Hinc pars reſtans rurſus fibras motrices ad novam ſyſtolen ſtimulat. Qua ratione, bini forſitan aut terni pulſus, unius validi tempore, peragi poſſunt. Semperque tanto plures erunt, quanto imbecillior cordis vis eſt, et tanto minus ſanguinis promovebitur, quanto plures pulſus ſint. Hanc rem typhi aut peſtis pulſuum celeritas optime

* Auct. relat.

optime illuſtrant; quae ſaepe triplo major naturali eſt, et ſynochae frequentiam fere duplicat.

XXXI.

Vaſculorum perſpiratoriorum ſtatus, ante relatus, quando atonia, et relaxatio eum faciens, a contagione inducitur, plurimum augetur. Hinc ſudor colliquens, et ſic nominata diarrhoea. Hinc ſanguis integer extremis foraminibus prorumpit, nec maculae et vibices, quae corrupto humore promanante conſtant, ſed et eruptiones etiam peculiares, ab acerrima materia factae, in iiſdem febribus incidunt. Eruptiones, bubones, anthraces, et carbones, ſunt, aliquando in typho; longe ſaepius in peſte occurrentes. Eorum cauſa humorum ſtagnatio eſt, propter atoniam vaſorum incidens, et ex hac corruptio. Non igitur judicatoriae eruptiones ſunt, ſed malae notae ſymptomata, tanto plus debili-

tatis ſubeſſe, quanto ipſae majores ſint, monſtrantia.

XXXII.

Morbis phlogiſtici generis contagioſis, medendi conſilium eſt, auctam poteſtatis nervoſae incitationem, tonumque et denſitatem, imminuere; vel uno verbo diatheſin phlogiſticam, aut ſimilem huic ſtatum, ſolvere.

XXXIII.

Remedia ea ſunt, quae adverſus phlegmaſias adhibentur. Quorum praecipua ſunt victus antiphlogiſticus, ſanguinis detractio, alvi purgatio, vitatuſque caloris pariter et frigoris ſtimulus, et hujus ſedans proprietas in uſum tracta.

XXXIV.

XXXIV.

In victu antiphlogiſtico, caro, condimenta, et potio valida, fugienda ſunt. Quo facto, ſtimulus validus, genus nervoſum protinus in ventriculo excitans, prohibetur, et vaſa ſanguifera, quia minus chyli conficitur, pro rata parte minus replentur. Hinc graviſſimus ſtimulus, quem diſtenſio ſanguinis praebet, genus nervoſum ex fibris vaſorum muſcularibus illico excitans, devitatur.

XXXV.

Eodem modo ſanguinis detractio agit, nil niſi ſubito magis opere differens.

XXXVI.

Nec diſſimilis alvum purgantium actio eſt. Quae, innumera vaſculorum exhalantium ora ſtimulando, et ſic excretionem ſimul

mul ſecretionemque augendo, magnam humorum copiam communi cumulo abſtrahunt. Hanc concluſionem Sydenhami judicium, hoc obſervatio certa firmant.

XXXVII.

Calor pariter et frigus, ſtimulando agentia, ex ampla corporis, quam attingunt, parte, totum genus nervoſum ſummopere commoveant neceſſe eſt. Qui totus effectus, prohibita cauſa, prohibetur.

XXXVIII.

Quia ſtimulus frigoris adeo morbis phlogiſticis inimicus eſt, ideo medici, ne in hunc incurrerent, ſedans opus metu evitarunt. Cujus tamen efficax in variola virtus latiorem ſui uſum commendat, ſummonetque eum in aliis phlogiſticis morbis non eſſe negligendum. Neque tamen abſolutum quicquam

quam hoc remedium eſt, quippe quod nil aliud ſit, quam caloris ſtimulum vitare.

XXXIX.

Ex medendi conſilio occurrendi facile deducitur, quod nil aliud eſt, quam ſeminium, ſeu diatheſin phlogiſticam, ante morbum ſolvere.

XL.

Morbis aſthenici generis contagioſis medendi conſilium eſt, poteſtatis nervoſae incitationem augere, tonumque et denſitatem idoneam reſtituere. Quod idem prorſus eſt, ac in omnibus aliis hujus generis morbis, ubi ſine febre ſunt, et a contagione non oriuntur.

XLI.

Remedia ſunt ea quoque, quae in congeneribus morbis omnibus adhibentur. Quorum

rum praecipua, victus tonicus, vini ſtimulans uſus, cortex Peruvianus, et amara, quae tonicam vim poſſident, aër frigidiuſculus, et frigida vel acetum corpori aſperſa; quae tria tonicam ſimul et antiſepticam vim vi excitante edunt.

XLII.

Materia cibi ſtimulatrix carnea eſt. Condimenta intelliguntur. Potui vinum dandum. Ex his ſtimulus, nervoſum in ventriculo genus, excitando, reliquum omne excitat. Ex iiſdem chylus, quodammodo auctus, ſanguinis copiam augebit. Cujus diſtentio, nervoſum in motricibus vaſorum fibris genus, eorum ubique, excitat.

XLIII.

Cortex Peruvianus et amara, in ventriculo agendo, aliqua ratione, recta aut eventu,

tu, univerſum genus nervoſum excitant, tonumque ubique et denſitatem impertiunt.

XLIV.

Acetum et frigida, corpori aſperſa, aut intus aſſumpta, proſunt, nimium aeſtum temperando, et putredini, ex ſtagnatione humorum orienti, obviam eundo. Antiſeptica igitur quamvis dicuntur, ſtimulanti tamen et tonico opere agunt; idemque de cortice Peruviano, quatenus is pro antiſeptico habetur, dicendum.

XLV.

Quae dicenda de hoc argumento putaveram, ſatis breviter abſolvi. Quam brevitatem, ut ſpero, propoſitae materiae novitas penſabit, excuſatum auctorem habebit, et aut ipſum me, aut feliciore ingenio aliquem, ad inceptum hoc porro proſequendum impellet.

F I N I S.